

V, 82.

2.417a



CVRIAM
REGNITIANAM
NON. NVLLO. IVRE
HERMVNDVRORVM
COGNOMINANDAM
DISSERIT. XXXXII

VT
SERENISSIMO. PRINCIPI. AC. DOMINO
DOMINO
CHRISTIANO. FRIDERICO. CAROLO
ALEXANDRO

MARCGR. BRANDENB. BVRGGR. NOR

ET. RELIQUIS
QVOD. MERETVR

OPTIMVS. PRINCEPS

PIA. VOTA

CHRISTIANO

DIEL. PROXIME. ILLVSCENTI

DESTINATA. LAETISSIME. PRAESVMENTIBVS

AD. ALTIORES. DISCIPLINAS

IVSTO. TEMPOPE. TRANSEVNDI. CAUSA

CVPIENTES

DEVIS. NOSTRIS. VOTIS. RESPONDEAT


IN .A. D. V. NONAS. MAIAS. CIOIDCCCLXXI

H. L. Q. C


IN. ILLVSTRE. CVRIANVM

CORROGET

PAVLLVS. DANIEL. LONGOLIVS



CVRIAE. REGNITIANAE
EX. OFFICINA. HETSCHELIANA



PENSVM II.

AN PER FRANCIAM ORIENTALEM?

Auftrum versus progredientes HERMVNDVRORVM vestigia inuenerint *Franciam orientalem intra extraue.*

SEGMENTVM I.

INTRA FRANCIAM ORIENTALEM?

Index dictorum.

- | | |
|---------------------------------------|--|
| §. I. An? | §. XXI. Limitibus <i>Heluetiorum</i> ductis. |
| §. II. Qui? | §. XXII. <i>Lemano</i> pro <i>Moeno</i> . |
| §. III. Singulatim. | §. XXIII. Ab rudi confusus. |
| §. IIII. Ad <i>Moenum</i> ? | §. XXIII. Restituo <i>Heluetiis</i> suo. |
| §. V. Ni potius ibi <i>Heluetii</i> ? | §. XXV. Tacitusne reus? |
| §. VI. Siue alii? | §. XXVI. <i>Hermanduris</i> vindicantur <i>Moeno</i> adiacentia. |
| §. VII. Simulne? | §. XXVII. <i>Burggrafatus Norimbergensis superioris</i> . |
| §. VIII. Omnibus inuitis. | §. XXXVIII. <i>Bambergensis</i> Praefulis. |
| §. VIII. Hinc corruptela. | §. XXVIII. <i>Norimbergae</i> . |
| §. X. Qui medenda? | §. XXX. Vtrique interiacentia. |
| §. XI. Sufficenterne? | §. XXXI. Ad <i>Rezas</i> . |
| §. XII. Ex adlatis? | §. XXXII. Ad <i>Suenicam Rezam</i> . |
| §. XIII. Vnde certius? | §. XXXIII. <i>Aichstetensia</i> . |
| §. XIII. <i>Iura</i> vbi? | §. XXXIII. <i>Weisenburgica</i> . |
| §. XV. <i>Moenus</i> quis? | §. XXXV. Ad <i>Franconicam Rezam</i> . |
| §. XVI. Eumne iuxta <i>Heluetii</i> ? | §. XXXVI. Ad <i>Cennam</i> . |
| §. XVII. Emigrantesne aliquando? | §. XXXVII. <i>Suabacum</i> . |
| §. XVIII. Num post ea? | §. XXXVIII. <i>Truidingen</i> . |
| §. XVIII. Hinc difficilior curatio. | |
| §. XX. Refcisfane? | |

§. I.

Francorum vadum, quod singulis annis frequentant bis mercatorum permulti, loquitur, migratione Germaniae populi haud incelebris natam esse *Franciam* 1.) aliam, quae ex situ *occidentalis* cognominata fuit, vt distingueretur ab illa, quae cis Rhenum in *orientem* porrigitur. Haec adhuc sub nomine *Franconiae* 2.) claret. Nec inde arcentur 3.) HERMVNDVRI. 4.)

§. II.

1.) Cuius nominis origines anquisiuit Eccardus, qui ex varia fortuna et sacris aliter atque aliter scribitur, cum ad Leibnitii Orig. Francorum §. XII. tum in Franc. Orient. Lib. I. §. IIII. et V.

2.) Cuius nominis veram aetatem decem abhinc annis cum Pl. Reu. Wandero nostro ex cathedra Curiani fuimus tuiti.

3.) Cluerio in German. Antiq. Lib. III.

§. II.

Quibus enim si cesferis ea, quae Salae Thuringico ab eius et Albis conflente ad fontes vsque adiacent; 1.) in proximo sunt *Franconica*. Inde vero iter versus Danubium, 2.) in cuius ripa 3.) HERMVNDVRORVM ciuitati cum Romanis commercium, immo penitus atque in splendidissima Raetiae prouinciae colonia. 4.)

§. III.

Facilius id cognoscetur, si discesferis in partes. Tum et iam nulli imputabis, quod non statuit. Nam non dum hanc illamue regionem, urbem, vicum assignauerit HERMVNDVRIS, quibus quispiam in vniuersum *Franconiam* 1.) permisit.

§. III.

Rigasae autem HERMVNDVRIANA prae se fert potior illorum 1.) pars *Moenum Maenumue*, medii aevi scriptorum *Mogonem Moganumue*, 2.) huic tamen non ita inhaerendo, quin modo in

K k k 2

dex-

Cap. XXVIII, suffragantibus Cellario in Notit. Orb. Antiq. Lib. II, Cap. V. Sect. III. §. LXXIII. Spenero in Notit. German. Antiq. Lib. V, Cap. VI. §. I. sub (F) p. 120. Iunkero in Instit. Geogr. Med. Aeu. Part. II. Cap. I. p. 100. Auflore Prolegomenorum de Hist. Spec. Franc. Orient. Cap. VI. p. §1. seq. et Cap. XXV. p. 346. seq. praemisforum Lindouicianae Collectioni Script. Herbpolitanorum, Leibnitio, Lacarrio, Dithmaro et Iablonski ad Tac. Germ. Cap. XXXXI n. 1. Schumachero de Ant. Grimae Stat. §. VI. Brechenmachero in Notit. Sueu. Antiq. §. XIII. et Pregizero de Gent. et Regn. Europ. ex Sueu. contin. §. X. in Wegelini Thef. Sueu. Vol. I. p. 79. et 265. Weistio in Antiq. Misnico-faxon. Cap. III. p. 30. Bunauio in Hist. Teuton. Caes. et Imper. Tom. I. p. 34. Melisfanti Rec. Theatr. Rer. Memorabil. Part. II. Cap. CVII. p. 263. Falkensteinio Antiq. et Memorab. Nordg. Vet. Tom. I. Cap. I. §. III. p. 5. Muldnero de Cattenburg. §. III. Eccardo in Franc. Orient. Lib. I. §. X. p. 7. Heimio de Disburgo §. II. p. 5. Steffenfio de Frisc. Incol. Teu-

ton. Cl. III. p. 194. Ill. Sattlero in Hist. Vniuersal. Wurtemberg. Tom. I. Sect. I. §. XXXVIII. p. 53. Cel. Reinhardo de Cennis Priscis Franconiae Incolis.

4.) Quos tamen inde arcuit Kirchmaierus ad Tacit. German. Cap. XXXXI. n. I. p. 412.

§. II. 1.) Quae quidem bona pace cesfantes vidimus vtroque Segmento superioris Pensi.

2.) De quo repete supra Cap. III. Sect. I. Int. I. Part. III. §. III. prolata.

3.) Teste Cornelio in German. Cap. XXXXI.

4.) Quam supra Cap. II. Sect. II. Int. II. Part. II. N. I. §. VI. conspeximus.

§. III. 1.) Supra §. I.

§. III. 1.) Cluuerio praecunte Cellarius, Spenerus, Schumacherus, Weisfius, Brechenmacherus, Pregizerus, Falkensteinius, Steffenfius, Heimius, Eccardus iam supra n. 3. ad §. I. excitati.

2.) Quam scribendi diuersitatem iam animaduertent Cluuerius Lib. III. Cap. XXXVIII. Cellarius Lib. II. Cap. V. §. XVII. Spenerus Lib. II, Cap. II, §. VI.

dextram, modo in sinistram 3.) diuertant, cum idem annis tot haurit fluuios, 4.) ad quos inuitaretur illa gens. Quis autem est, qui nesciat, inter istos esse Tubarum, qui ad Wertheimum in Moenum effluit? Inter illum et Bohemicos montes confederint 5.) quondam HERMVNDVRI nostri.

§. V.

Iam vero *Heluetii* dicuntur 1.) inter *Hercyniam siluam*, *Rbennumque* et *Moenum amnes* tenuisse. Fuit ergo „ex limitibus, qui istis verbis assignantur, magnam eos Sueviae, Franconiae, Palatinatus superioris et aliquam inferioris, Moguntini item et Darmstadiensis tractuum partem haud dubie occupasse coniectens, „ 2.)

§. VI.

Est igitur, vt de istis *Cornelianis* 1.) vir, 2.) qui ex tot, qui ea reperierunt aut illustrare sibi visi sunt, vnicus eadem incudi reddidit, pronunciauerit; Ea enim *Corneliana*, si accipiantur simpliciter, *Heluetiis* omnes eas terras, quae inter *Hercyniam siluam* *Rbennumque* et *Moenum* intercedunt, assignare videntur. Assignant igitur *Marcomannorum*, *Sedusiorum*, *Harudum*, *Nariscorum*, HERMVNDVROVRVM, fortassis etiam *Vindelicorum* sedes. 3.)

§. VII.

sub (o) p. 69. sed non nisi ab Iunkero Part. I. Cap. III. §. XXXII. p. 49. seqq. inuestigatam.

3.) Cum *Cluero* Lib. III. Cap. XXVIII. et *Cellario* Lib. II. Cap. V. Sect. III. §. LXXXIII.

4.) Quorum validiores nominant *Willius* in *Paradisi Teutonici* Cap. VII. et VIII. adhuc in *seriniis nostris clausi*, item *Dielhelmus* in *Antiquar. Moeni* inter reliquos p. 167. seqq. vbi pluribus quam in *Lexic. Hydrograph. German.* p. 326. seqq. quippe quae maximam partem praeciuit *Grosius* in quatuor *Fluminibus Fichtelbergicis* p. 34. seqq. immo ante istos omnes *Althamerus* ad *Tacit. Germ. Cap. XXVIII. n. 3.* quorum vestigia presertim nouissime *Ill. Stieber* in *Hydrograph. Onold. Cap. III. p. 21. seqq.* et in *Topogr. Onoldin.* p. 21.

5.) Ex sententia *Eccardi* ad *Leibnitii*

Disquis. de Origine Francorum §. VIII. p. 250.

§. V. 1.) *Tacito* in *German. Cap. XXVIII. n. 3.*

2.) *Cel. Schoepflinus* in *Orig. Celtic.* §. LIII. p. 109. qui secutus est *Spenerum*, quod conflabit euoluitus huius *Notit. Germ. Antiq. Lib. III. Cap. II. §. I. sub (1) p. 160. extr.*

§. VI. 1.) *Superiori* §. prolatis.

2.) *Io. Conradus Schwarzius*, cui commodiorem *Cellarii Notitiam Orbis Antiqui serimus* acceptam, in cuius *Lib. II. Cap. III. Sect. I. §. XXXV. p. 223.* calce prouocat ad libellum, cui nomen est *Noua designatio veteris Heluetiae finium longius, quam vulgo fieri solent, praevidendorum.*

3.) Quae ibi p. 16. legas.

§. VII.

Suo igitur iure quaerit idem 1.) ex iis, quibus id videtur: „Quo modo terras eas, quas et *Marcomanni* et *Harudes* et *Sedusi*, adde *HERMVNDVROS*, colebant, vno eodemque tempore simul colere potuerint *Heluetii*? 2.) Nam diuersitas colonorum in iisdem locis eodem tempore summam inducit repugnantiam. „

§. VIII.

Inde colligit idem: 1.) „Tacito, si his ex verbis sententiam eius exquiramus, repugnat communis omnium, etiam diligentium scriptorum fides; repugnat in primis Caesar, 2.) quem is 3.) tamen perfrustrat, et hic vnice sequitur; repugnat etiam ratio. „

§. VIII.

Quae 1.) cum ita sunt, Tacitus corruptus fuit, 2.) Vnde vero medicina?

§. X.

Eam praebere chirurgiam, censet saepius 1.) laudatus. „Etenim, inquit, 2.) de *Moeno* si rescindas primam literam, relinquetur *Oenus*. *Oenus* autem vel *Aenus* fundit sententiam conuenientem numeris Caesaris, 3.) et, vt opinor, omni antiquitati; quantum quidem eius ad nos inuiolate peruenit. Nam extrusa prima litera *Moeni* redibunt *Heluetii* in veteres suos et notissimos terminos. Circumscribentur enim primum *Aeno* et silua *Hercynia*, deinde *Rbeno* Galliae et Germaniae limite, deinde *Iura*, denique *Rhodano*. Corruptio loci Corneliani 4.) nasci potuit, vti nata est, ex ignotiori nomine fluminis *Aeni*, in cuius locum librarius *Moenum* subdidit. Omnino *Aeni* nomen obscurius et minus tritum fuit. Nam in eo scribendo turpiter alibi quoque lapsi sunt librarii. „ 5.) Hac tenus ille.

K k k 3

§. XI.

§. VII. 1.) p. 16. seq.

2.) Quo planius sit, quod Zschacutius mox n. 2. ad §. VIII. appellatus paullo obscurius elotutus est.

§. VIII. 1.) p. 17.

2.) De Bell. Gall. Lib. I. Cap. II. n. 3. cuius verba vel infra §. XII. transtulimus.

3.) Tacitus principio Capituli XXVIII.

§. VIII. 1.) §. VI. VII. et VIII.

2.) Iudice eodem Schwarzio p. 17. atque plus quam triginta annis post siue

illius monitu, cuius tamen nullam fecit mentionem, siue suo ingenio Zschacutius in Antiq. German. Part. I. §. XIII. p. 20.

§. X. 1.) Inde a §. VI.

2.) p. 17. seq.

3.) De Bell. Gall. Lib. I. Cap. II. n. 5.

4.) Quem dedit supra §. V.

5.) In Taciti Histor. Lib. III. Cap. V. n. 5. vbi Beatus Rhénanus de Reb. Germ. Lib. I. p. 12. primus *Oenum* reposuit.

§. XI.

Sed, quod est ingenui, non disimulauit idem, 1.) „ex sua correctione terminos *Heluetiorum* non satis signari. Etenim ab vna tantum parte Rhenum et Hercyniam filuam, ab altera Aenum circumduci; tertium vero latus et quartum silentio praeteriri, quod Tacitus 2.) praeterire nequiverit. „ Existimat tamen, „ in proclui esse responſionem. Caesarem 3.) quoque praetermiſſe tertium et quartum latus in designandis *Heluetiorum* terminis; vt mirum non sit, Tacitum ibidem duo praeteriſſe. Neque Tacitum necessitatem vſiſſe, vt latera iam diu nota faceret. „

§. XII.

Ast audiamus ipsum Caesarem, 1.) quem is toties antestatus est. *Vndique loci natura Heluetii continentur; vna ex parte flumine Rheno latissimo atque altissimo, qui agrum Heluetium a Germanis diuidit; altera ex parte monte Iura altissimo, qui est inter Sequanos et Heluetios; tertia lacu Lemano et flumine Rhodano, qui provinciam nostram ab Heluetiis diuidit.* En tertium latus! Id autem ille 2.) Caesarem praetermiſſe dixerat. Si idem 3.) infset, quartum tamen praetermiſſe; doceat prius, quarto esse opus. Cur non suffecerint tria, quod iam vulgo perfectissimum? Sane tot lateribus regio potest circumſcribi; et quoties non tot circumſcribitur?

§. XIII.

Si didiceris, vbi locorum *Rhenus* agrum *Heluetium* a Germanis diuidat, *Iuram* montem esse inter Sequanos et *Heluetios*, lacumque *Lemanum* cum flumine *Rhodano* illum influentem Galliam istam Romanorum provinciam ab *Heluetiis* diuſiſſe; intelliges, *Heluetios* plane fuisse cinctos, vt nullus alius iis patuerit exitus. *Heluetii* olim domo exituri sane experiebantur hosce fines. Nec Caesar 1.) alios nouerat, quos perrumpant.

§. XIII.

Iam haecce conferas cum istis 1.) Cornelii. Huic conuenit cum Caesare, *Rhenum* praetexere *Heluetios*. Mons *Iura* fuerit pars *Hercyniae* filuae, 2.) *Ea oriebatur ab Heluetiorum et Nemetum et Rau-*

§. XI. 1.) p. 21.

2.) §. V. differentem.

3.) De Bell. Gall. Lib. I. Cap. II. n. 3.

§. XII. 1.) Ibidem.

2. et 3.) §. XI.

§. XIII. 1.) Quem, in cuius enim vel tironis manu non est, sequaris a libri I. Capite V.

§. XIII. 1.) Iam §. V. exhibitis.

2.) De qua, paucioribus me hic expe-

Rauracorum finibus secundum eundem Caesarem, 3.) cuius vetus Metaphrastes Graecus non aliter sensit, reddens ea: ΕΡΚΥΝΙΟΣ δρυμὸς - - ἀπὸ τῆς τῶν ΕΒΑΗΤΙΩΝ καὶ τῶν ΝΕΜΗΤΩΝ, καὶ τῶν ΡΑΥΡΑΚΩΝ ἀρχόμενος χώρας. Saltem inter 4.)

ΕΡΚΥΝΙΟΥ δρυμὸς παραφράσκοντες ἑβέγγυος retuleris. Ante omnia igitur extendas illud *Hercynium iugum* 5.) longius, 6.) quam vulgus eorum, qui terrarum situs pinxerunt, solet. Et cur non cum venia? Nam 7.) *non quisquam erat, qui se adisse ad initium eius silvae dicat, cum dierum iter LX. processerit, aut, quo ex loco oriatur, acceperit.* Iam cum gentes separarentur montibus, saltibus, fluminibus; 8.) quis *Helvetiorum* limes certior, quam vbi illos ista clauderent? Claudebat autem mons *Iura* siue pars *Hercynii* iugi atque *Rhenus* in illa *Augusta Rauracorum*, 9.) cuius rudera non longe a celeberrima *Basilea* obscurus vicus *Augst* adhuc seruat. 10.) Sed et *Rauraci* isti siue *Raurici* dicuntur eorumdem *Helvetiorum finitimi*. 11.) Quot vero dies consumferis, dum inde profecturus adtigeris illum 12.) *Moenum*?

§. XV.

Moenus igitur alius sit, quam iste *Franconiae* fluvius. 1.) Ab hac enim parte *Helvetiorum* limes certus est. 2.)

§. XVI.

Fuerint, qui putent, *Heluetios* aliquando infedisie terras, quas iste humectat. Doceant igitur, quo tempore. Illo, quo primum innouerunt, illis finibus, quos iam 1.) indicauimus, contin-

diam, quia pluribus egi Cap. III. Sect. I. Int. I. Part. II. §. V.

3.) De Bell. Gall. Lib. VI. Cap. XXV. n. 2.

4.) A Dionysio Ὀνομου. Περιηγ. vs. 286. memoratos.

5.) Quae est scriptura Plinii in Hist. Nat. Lib. III. Cap. XIII. extr.

6.) Quod vel in Cellariana antiquae Germaniae tabula desidero,

7.) Teste Caesare de Bell. Gall. Lib. VI. Cap. XXV. n. 4.

8.) Quod doctum in principio huius commentationis nostrae Cap. III.

9.) Ptolemaei Γεωγραφ. ἸΦηγησ.

Lib. II. Cap. XI. atque Plinii in Hist. Nat. Lib. III. Cap. XII. et XVII. Theodosianae Tabulae et Antonini Itiner. 2. Wesfelingio redditus p. 353.

10.) Montrante in primis post Suritam ad ista Antonini Cellario in Notit. Orb. Antiq. Lib. II. Cap. III. Sect. II. §. XXXVII. item Iunkerio Part. II. Cap. I. p. 109.

11.) Caesari de Bell. Gall. Lib. I. Cap. V. n. 4.

12.) Supra §. V. venditatum, §. XV. 1.) Supra §. III. nominatus.

2.) Ex §. XIII.

§. XVI. 1.) §. XII.

tinebantur, vt latius vagarentur minus. 2.) Tum 3.) erant omnino itinera duo, quibus domo exire possent: vnum per Sequanos, angustum et difficile, inter montem Iuram et flumen Rhodanum, quo vix singuli carri ducerentur; mons autem altissimus impendebat, vt facile perpauca prohibere possent: alterum per provinciam Romanorum, multo facilius atque expeditius; propter ea, quod Heluetiorum inter fines et Allobrogum - Rhodanus fluit, isque non nullis locis vado transitur. Extremum oppidum Allobrogum est proximumque Geneva, ex eo oppido pons ad Heluetios perinet.

§. XVII.

Iam Caesare 1.) in Gallia militante, per angustias Iurae montis et fines Sequanorum *Heluetii* copias suas transduxerant, et in Aeduorum fines peruenerant., Hoc autem iter ad *Moenum* Germaniae ducere qui sibi persuadeat, a via plane aberrabit, quia ad occidentem solem se se verteret, cui in septentrionem esset eundem. Sed et tum Caesare 2.) eos coegit in fines suos redire. Hi, „vbi se ad exeundum e finibus suis paratos esse arbitrati erant, oppida sua omnia, numero ad duodecim, vicos ad quadringentos, reliqua priuata aedificia incenderant, et frumentum omne, praeter quod se cum portarent, combuserant., 3.) Num forte inde Ἡ τῶν Ἑλλουητίων Ἐρημος? 4.)

§. XVIII.

Ex quo autem sedes suas mutauerint *Heluetii*, vt *Moeno* adfiderent tum, cum Tacitus illa 1.) exararet, ne is quidem, multo minus veterum quisquam prodidit. Qui igitur *Moenus* in illis *Cornelianis* se se tuebitur?

§. XVIII.

Ast *Schwarziano* 1.) *Aeno* forte laetiora inde? Res ipsa loquatur. Igitur inter *Hercyniam siluam Rhenumque* et *Aenum amnes Heluetii* fuerint. Compara denuo pictas illius regionis tabulas. Si terram *Rbeno Aenoque* interiacentem tenuit ista gens, hique amnes limites fuere; *Rhenum* transfiliis necesse est ad *Hercyniam siluam Heluetios*

2.) Quae sunt verba Caesaris de Bell. Gall. Lib. I. Cap. III. n. 4.

3.) Ex indicio illarum terrarum olim peritissimi Caesaris Cap. VI. n. 1. 2. 3.

§. XVII. 1.) Ipso teste Cap. XI. n. 1.

2.) Cap. XXVIII. n. 3.

3.) Item Cap. V. n. 2.

4.) Ptolemaei Γεωγραφ. ἸΦηγήσ. Lib. II. Cap. XI.

§. XVIII. 1.) §. V. transcripta.

§. XVIII. 1.), §. X. in scenam producto.

Heluetios protracturus. Ita vero aut *Rhenus* vitio laborabit, aut errauerit Caesar scribens: 2.) *Oritur* Hercynia filua *ab Heluetiorum et Nemetum et Rauracorum* 3.) *sinibus, rectaque fluminis Danubii regione pertinet ad fines Dacorum et Anartium; hinc se flechit* sinistrorsus. Immo *dextrorsus*, si cum *Rheno Aenoque* Schwarziano angulum, quo se iacent *Heluetii*, effecerit. Vereor ergo, ne sic plures difficultates creantur, quam componantur.

§. XX.

„Corruptelae igitur medicina quaerenda. Eam si chirurgiae praecipue curandam putes, nihil erraueris.“ Rescindas autem nihil. 1.) Quin potius rescisam vnam alteramue literam suspiceris, quo nihil frequentius in rudis vulgi ore librariorumque sciolorum calamo nomina regionum, fluminum, locorum capite truncantium, 2.) Cui non dicta *Spania*, quae *Hispania*? et *Spanus*, qui *Hispanus* integre adpellandus? 3.) Sic Edessa Syriae *Rhoa* ex *Orrhoa* siue *Callirhoe*. 4.) Et quot nomina legimus audimusque circumcisa et amputata, quae huc transcribere longum foret?

§. XXI.

Heluetiorum inter fines et Allobrogum - - *Rhodanus fluebat.* - - *Extremum oppidum Allobrogum erat proximumque Heluetiorum finibus Geneva. ex eo oppido pons ad Heluetios pertinebat.* Id praefens didicerat Caesar. 1.) Haec linea a dextra cum *Rheno* a sinistra cum monte *Iura* illo *Hercynii* iugi ramo continebitur. Istam gentem, ne prouinciam Romanam inuaderet, prohibiturus Iulius 2.) *a locu Lemano, quem flumen Rhodanum insluit, ad montem Iuram, qui fines Sequanorum ab Heluetiis diuidebat, millia passuum decem nouem murum in altitudinem pedum sexdecim fossamque perducit.*

§. XXII.

Quid si igitur, quod toties vsu venit, librario Corneliano *Moen-*

LII

nus

2.) De Bell. Gall. Lib. VI. Cap. XXV. n. 2. et 3.

3.) *Rauracos* autem *Nemetibus* in hoc loco praeposendos esse, iam monuit Cluuerius de Tribus Rheni Alueis et Ostiis et eorum Accolis Cap. VIII. p. 66.

§. XX. 1.) Omnia alia permisit chirurgo suo Schwarzius supra §. X.

2.) Quod iam questi sumus Cap. III.

Sect. I. Int. II. Part. VIII. §. XXIII. n. 29.

3.) Conferas, licet, *Wesfelingium* iam antea laudatum ad Antonini Itiner. p. 268. inde existimantem, *Spanetae* verum nomen fuisse *Hispanetae*.

4.) Et hic eundem p. 185.

§. XXI. 1.) Quae ipse prodidit memoriae de Bell. Gall. Lib. I. Cap. VI. n. 2. et 3.

2.) Aequae Cap. VIII. n. 1.

mus iste 1.) notior fuerit lacu *Lemano*? Si is in Corbeiensi andronitide ad Visurgim, vnde vnicum exemplar annalium Cornelianorum in Bibliothecam Mediceam quondam transiit, 2.) aetatem degeret, inclinavit ad viciniorem *Moenum*. Contra fuit librarius, 3.) cui iste *Lemanus* lacus notior, vt eius nomen transferret ad illum Franco-niae extremum anhem *Almonam* quibusdam *Alemannum* dictum, qui tamen ab vrbe Geneua, quam adluit verus *Lemanus* siue *Lemannus*, longe remotus fuit. 4.)

§. XXIII.

Quantulum autem interest *Moenum* *Maenum*ue et *Manum* ex *Lemano* pronunciantis in distincte exprimendis singulis literis negligentioris? Hinc *Anifisa*, *Anifsius*, *Amofius*, *Amofia*, recentiorum *Emifsa*, *Emifaba* et pagus *Emifga*, *Emifgao*, nostratium *Ens*. Hinc *Anafus*, *Anifus*, recentiorum *Aves*, *Avesus*, nostratium *Ens*. Hinc *Arnapa*, *Erpaba*, nostratium *Erp*. Hinc *Campus* nostratium *Campe* et *Cempe* promiscue. Hinc *Athesis*, recentiorum *Edisfa*, nostratium *Etfeb*. Hinc *Dalmatia* et *Delmatia*, *Melita* et *Malra*. Hinc *Suaui* et *Sueni*, 1.) et huius generis sexcenta. Sed et vocales simplices et diphthongi mutuo permutantur. 2.) Ceterum qui haereat, an iuxta *Lemanum* lacum stare queat *ammes*, discat, non solum de flumine 3.) sed et iam de lacu 4.) idem valere.

§. XXIIII.

Hinc „*Heluetia* inter montem *Iuram*, lacum *Lemanum*, *Italiam* et *Rhenum* „ collocatur geographis. 1.)

§. XXV.

Hoc pacto vindicati essent manes *Cornelii*, quem quidem per vniuersam Germaniam non audemus omni erroris suspitione absol- uere.

1.) Cuius §. V. index.

2.) Teste *Lipio* ad *Taciti Annal. Lib. II. n. 34.* et in *Disputat. Notar. Cod. Mirand.* quem citauere *Furstenbergius* in *Monum. Paderborn. p. 71. seq.* et *Fabricius* in *Biblioth. Latin. Ver. Lib. II. Cap. XXI.*

3.) Qualis nobis obuenerit supra *Cap. III. Sect. I. Int. II. Part. VIII. §. XXIII. n. 29.*

4.) Quod ibi n. 47. animaduertimus.

§. XXIII. 1.) Quam varietatem vel ipsius huius commentationis nostrae *Cap. I. Sect. II. Int. II. offerat*, immo *Cap. III.*

Sect. II. Int. I. Pars II. N. II. §. VI. et VIII.

2.) Quale iam adnotauimus ad *Cellarii Orthogr. Lat. a Cel. Harlesio Operi Orthogr. Lat. Tom. I. p. 42. insertum.*

3.) Quod constat ex huius commentationis *Cap. III. Sect. II. Int. I. Part. II. N. II. Penf. I. §. X.*

4.) *Docentibus Seruio et Cerda ad illud Maronis Georg. Lib. III. vs. 433. oceani amnis.*

§. XXIII. 1.) In *Mercatoris et Hundii Atlante p. 181.*

uere. Quam facile enim imponi potest vel sollertissimo, qui nec suis 1.) perlustrauit oculis, quae prodit, neque ex idoneis hausit! 2.)

XXVI.

Quod si vero iuste 1.) prohibuimus *Heluetios* a terris *Moeno* adiacentibus; eas tenuerint HERMVNDVRI.

§. XXVII.

Capite discreti sunt *Moeni* fontes. Alter non procul Lindenharto eluctatus flectit cursum ad illam *Crusiam* iam a multis seculis nobilem, atque inde ad *Boiorum* nouale, caput *Burggrafiatu* *Norimbergensis* superioris, *Bairutum*. Alter exprimitur piscina illius iugi *Piciferi* verticis olim antiqua arbore nemorosi et opaci iam nudi neque mollis, vnde loci deuexitate impellitur versus *Pischofsgrun*, quod recentiores veri originis ignari cum *Bischofsgrun* commutarunt, 1.) atque propter *Baereneccam* vulgo contractionem amantem *Berneck* nominatam, 2.) ac solo plano per villas multas, quae eius margini insistant, ad *Culmina* illa *Blasfenburgo* nobilitata in *Culmbach* transformata. 3.) Quam infra ad *Steinhufam* hic *albus Moenus*

L II 2

cum

§. XXV. 1.) Quod quidem a *Tacito* fastidium esse, non pauci cum *Cluercio* in *German. Antiq. Lib. I.* proeemiantem sibi persuaferunt, quos redarguit prae ceteris *Dithmarus de Fide Taciti in Reb. German.* §. III. seqq. in eius *Disf. et Exerc. partis posterioris Exerc. II.* p. 405. seqq. vbi §. III. p. 408. *Plinium* iuniorem maioris adpellat nepotem, quidem de *Cornelio* meritisimo, in eiusdem operis *Disf. XV.* §. III. sub f) p. 325. ex fratre nepos fuit, quasi ille, cuius *Historia Naturalis* adhuc in manibus nostris est, habuerit fratrem, cuius filius *Plinius* is, cuius *Epistolae*, ad quas prouocauit *Dithmarus*. Falluntur autem siue hic siue operae, quae p. 408. nominant *Ep. 16. Libri V.* qui est *Lib. VI.* in qua istum maiorem nominat iunior auunculum, addito *Ep. VIII. Libri V. eundemque per adoptionem patrum.* Iam vero ex effato *Paulli* l. 10. §. 14. *D. de gradibus auunculus est matris frater, quod, explicante Felto* illa voce, aequae tertius a me ut

auus est, sed non eiusdem iuris, ideoque vocabuli facta diminutio est; siue -- quod cui locum obrineat, et proximitate tuncatur fororis filium. Hoc necessitatis gradu illum *Plinium* maiorem contingebat iunior ex *Caelio* quodam natus, prioris autem per adoptionem filius, quae pluribus docuit *Mason* in *Vita C. Plinii Secundi* iunioris in principio.

2.) Qualia omnino desiderat abs *Tacito* *Zschacuitius* in *Antiq. German. Part. I.* §. XIII. p. 19. seqq.

§. XXVI. 1.) Quod iure suo a *Magistro* contradictionis postulauit nuperrime doctissimus *Hofmannus*.

§. XXVII. 1.) Quam in rem videas nostra ad *Barutina* *Historica Franconiae* anni *1010 cclxviii.* collata *Part. XXXVII.* p. 373. seqq. n. 5.

2.) Quod docuimus in *Anal. Brandenburg. Tom. I. Cap. II. p. 137.*

3.) Cuius rationem reddidimus commentario, quo *Curiam Regnitianam* *Ser-*

cum illo priori, cui nomen *rubro*, miscetur et iam fit flumen amplum. 4.) Hunc tractum 5.) occupauerit illa HERMVNDVRRORVM gens siue numerosior, quam ut priscis sedibus cohiberetur, siue adlecta caelo laetiori.

§. XXVIII.

Inde *Moenus* iam vnus rigat, quae in *Bambergensis* Praefulis potestate, ex quibus prae ceteris *Bamberga* et *Forachemia* tribuuntur 1.) HERMVNDVRRIS, quorum tamen vtraque Radiantiae 2.) est adposita.

§. XXVIII.

Iisdem igitur et iam tribuitur 1.) regio, in qua *Norimberga*, cuius in insignibus antiquitus nominatum 2.) *Schwabenfeld* immo intra ipsius moenia *Schwabenberg* 3.) forte ex eo petenda, quod HERMVNDVRRIS pro natione *Sueuica* habentur. 4.) Neque alienum esse, *Nurnberg* idem esse ac *Hermundurberg*, auctori quidem suo 5.) relinquimus.

§. XXX.

HERMVNDVRRIS tamen adiudicauerit ista, qui adiudicet, quaecumque possent aquari amnibus, qui *Moeno* 1.) miscentur. Quis est autem istorum locorum hospes, ut nesciat, *Pegneseum Norimbergae* tam utilem effluere in flumen aliud prope *Noricorum Vadum*? 2.) Ibi *Regnitiam*, versus *Erlangam* autem, vbi HERMVNDVRRIS

Buregr. Norimb. Hohenzoller. Stirpis citius, ac vulgo creditur, vindicauimus, §. VI.

4.) Qualia iam obseruarunt supra n. 4. ad §. III. laudati.

5.) Si stat penes Cluuerium, Cellarium, Spenerum, Schumacherum, Brecheumacherum, Pregizerum, Weisium, Bunatium, Falkensteinium, Heimium, iam supra ad §. I. n. 3. nominatos, vt et Wideburgium in *Disf. de Pagis Vet. Misn. §. I. sub (b) Antiq. Marggr. Misn. Part. II. addita.*

§. XXVIII. 1.) A Cluuerio et, qui eius vestigia preserunt, Cellario, Pregizero, Spenero, Wideburgio, Falkensteinio, Heimio, post quos a Steffenio de Prisc. Teuton. Incol. Cl. III. p. 194. item Lacarrio ad Tacit. German. Cap. XXXXI.

2.) De quo paullo post §. XXX.

§. XXVIII. 1.) Ab eodem Cluuerio, Cellario, Pregizero, Wideburgio, Falkensteinio, Meriano in *Topogr. Francon. p. 36.* Doederlino in *Antiq. Gentil. Nordgau. §. XXII. p. 30.*

2.) Teste S. R. Oettero in *Hist. Ser. Buregr. Norimb. Tom. I. Lib. I. Cap. III. §. I. p. 68.* et nobis ipsis in *Del. Numismat. Hist. Brandenb. Tom. III. Partic. XXXV. p. 354. seq.*

3.) De quo Falkensteinius in *Chron. Suabacensi Cap. I. §. I. sub (a)*

4.) De quo diseruimus *Cap. I. Sect. II. Int. I. Part. II. §. V. seqq.*

5.) Iunkerio in *Instit. Geogr. Med. Aeuui Part. II. Cap. I. p. 108.*

§. XXX. 1.) Supra §. III. nominato.

2.) Teste supra ad §. III. laudato Stie-

MVNDVROS in fluuiolo *Schwabach* a *Sueuis* quis deprehenderit, 3.) dum infra Bambergam in Moenum effluit, *Redniz* nominari voluit quidam, 4.) alius 5.) omnia alia, a quorum utroque discedit, qui, 6.) quod alter *Redniz*, alter gutture altius distracto *Regniz* pronunciasse, credit, atque pro maiorum *Rethratenza*, *Raicena*, *Radiantia* haud perperam habet.

§. XXXI.

Aequè vero constat, hanc siue *Regnitiam* siue *Radianciam* nasci ex *Reza* bicorni. 1.) Est, 2.) qui lineam HERMVNDVRIS ducit a confluentibus *Moeno* et *Radantia*. Ducat ergo et a *Reza*.

§. XXXII.

Reza altera superior cognominatur *Suenica*, 1.) quia in finibus *Sueviae*, qui Comiti *Pappenbeimensi* parent, oritur. 2.) Haec HERMVNDVRIS facile concesserint, qui non inuideant iis superiora. Inde enim hic transitus ad Danubium, in cuius ripa illorum ciuitati cum Romanis commercium, eorundemque ad coloniam *Vindelicorum Augustam*, 3.)

§. XXXIII.

Neque inuideam iisdem proxima, quae Praefuli *Aichstetensi* sunt subiecta. 1.)

§. XXXIII.

Sane, si istis adfentiaris, non dubitabis eidem genti adsignare 1.) *Weisenburgica*, quippe quae ad eundem *Rezam Suenicam*, 2.)

L II 3

XXXV.

bero p. 28. seq. et 22. comite Dielhelmo in Lex. Hydrogr. German. p. 432.

3.) Si ea se cum reputat, quae deinde §. XXXVII. occurrent.

4.) In Additamentis ad Delic. Topograph. Norimberg. p. 102. seqq. quorum placita adoptata sunt in Geogr. Europ. Itiner. Tom. V. Lib. VI. Cap. V. §. III. p. 867. seqq.

5.) Idem Stieberus p. 29. et 32. seqq. item 23.

6.) Cl. Diez de Pago Rangaw Progr. II. p. 16. seq.

§. XXXI. 1.) De quo plura in ista Hydrographia Onoldina p. 30. seq. et Topogr. Onoldina p. 23. atque Lex. Hydrogr.

German. p. 452. seqq.

2.) Cluuerius cum sexta sua iam Commentarii huius nostri Cap. III. Sect. Int. II. Part. II. N. II. P. I. S. I. §. XVII. n. 2. citatus.

§. XXII. 1.) Cuius cognominis nulla ratio, si solum Dielhelum modo excitatum audias. Eam vero reddet, qui probatisimae fidei, Stieberus in Hydrogr. Onold. p. 31. atque Doederlinus in Antiq. Gentil. Nordgau. §. XXII. p. 30. seq.

2.) Quod hic ipse docet.
3.) Si memineras vel supra §. II. prolata.

§. XXXIII. Quod edixit Doederlinus in Antiq. Gentil. Nordgau. §. XXII. p. 30. §. XXXIII. 1.) Eodem auctore.

§. XXXV.

Rezarum altera inferior cognominatur *Franconica*, quippe quae in ipsa prouincia *Onoltsbacensi*, quae est *Franconum*, oritur. 1.) Quod si igitur HERMVNDVRI ad occidentem progressi fuerint, et hic confederint. 2.)

§. XXXVI.

Quid vetat, quin iidem 1.) ripam *Cemnae*, 2.) cui adhaeret *Cerna* 3.) in *Onoltsbacensibus*, quae ab situ porrectae vrbis *longa* adpelata fuit, coluerint?

§. XXXVII.

Eorundem quoque fuerit 1.) *Suabacum*, quod documentum est, *Saeuos* hic aliquando egisse. 2.) In his autem referuntur 3.) HERMVNDVRI.

§. XXXVIII.

Eosdem ad *Wernitiae* fluuium 1.) perrexisse, coniiceret, qui in nomine ibi sitorum *Truidingen* transpositionem literarum auderet statuere, quasi *Turidingen*, atque inde partem nominis HERMVNDVORVM inuenisse sibi blandiretur. Si vero proprius nomen *Druiden* cui videretur; nil faceret pro HERMVNDVRI, quippe quibus non solis sed in vniuersum Germanis isti tribuuntur. Sed nihil praeripiamus Viro, a quo hisce lux accendatur. 2.)

Horum

2.) Quo cum facit laudatus Stieberus. §. XXXV. 1.) Monstrantibus Dielhelmo p. 452. seq. et Stiebero p. 30. seq. et 23.

2.) In quo probando defudauit olim Georgii in *Onoltsbacensibus* Cap. II. p. 5. seq.

§. XXXVI. 1.) Quorum nationi ea, quae Cennorum nomine Dioni Casio Hiltor. Lib. LXXVII. p. 749. memorantur, adtribuit Ill. Reinhardi de Cennis Prifcis *Franconiae* Incolis meditatio duobus abhinc annis publicata.

2.) Cuius alueum delineauit indefessus agendo noster Stieberus in *Hydrogr. Onold.* p. 43. seq.

3.) De qua idem Vir laudatus in foliis distima *Topograph. Onoldina* Cap. VI. p. 537.

§. XXXVII. 1.) Ex sententia eiusdem

Georgii p. 6. item *Falkensteinii* in *Chron. Suabac.* Cap. I. §. I. sub (a) atque Ill. *Hansfelmanni* in *Monimentis Romanorum* per *Franciam Orientalem* pro more suo, id est, summa cura ex ruinis in lucem protrahit et illustrat *Tom. I.* §. CXXIII. p. 180.

2.) In quo probando multus fuit idem *Falkensteinii* §. II.

3.) Si persuadere iis, quae supra *Cap. I. Sect. II. Int. I. Part. II. §. V. seqq.* scriptimus.

§. XXXVIII. 1.) De quo in saepius indicata *Hydrogr. Onoldina* p. 42. seq. et *Topogr. Onold.* p. 28.

2.) Ill. *Spiefius*, cui de hoc studiorum genere merita conciliarunt a *Perspicacissimo* Principe praefecturam tabularii *Blasfenburgensis*.



Horum vero DOMINVM AEQVISSIMVM SERENISSIMVM PRINCEM CHRISTIANVM FRIDERICVM CAROLVM ALEXANDRVN non salutare, qua par est, pietate et obsequio re gioni ducimus summae OPTIMI PRINCIPIS popensissimam voluntatem experti, quin commendemus Deo imperium EIVS in nos trans montes remotissimos faustissimo fidere translatum et votis publicis et gaudiis simul cum septem discipulorum nostrorum. Omnes patrio incedent habitu, ne quisquam linguarum peregrinarum expers otiosus adfideat, sed discat, quantum referat, a CHRISTIANO PRINCIPE regi iam exponet

Primus: *bono omine nomen PATRIS patriae incipere a CHRISTIANO.*

Secundus: *quaenam patria maioris gloriae?*

Tertius: *Christianorum patria nullam potiorem.*

Quartus: *iuris studium bene convenire cum indole veri Christiani.*

Quintus: *an Christiano nomini valde commoda variantium lectionum codicis sacri cum maxime anabela conquestio?*

Sextus: *Christianum potissimum suorum amantissimum.*

Septimus: *quod est Musarum Christianarum Christiani sub imperio beatissimarum.*

Cum horum primus IOANNES CHRISTIANVS ANTONIVS ROTH Neobergafchensis, tertius IOANNES CHRISTOPHORVS SCWEINIZ Oelsnitiofaxo et penultimus GEORGIVS GEIER Selbenfis adhuc in disciplina nostra remanent; tantum de quatuor reliquis altiora meditantibus de more quaedam vitae cuiusque in nostris actae. Seruemus ordinem, quem iam ingressi sumus.

IOANNES GEORGIVS GODOFREDVS DOPPELMAIER iacturam fecit vtriusque parentis iam aetate tenerima. Patrem enim Ioannem Sigismundum Medicinae Doctorem Experientissimum aegrotis militibus exteris inferuendo periisse, tredecim abhinc annis iam significauimus, cum eius fratrem natu maiorem lenam ablegarem. Illum hic Medicinae Candidatus Doctissimus iam ad se Erlangam euocat aequae arte salutari imbuendum, qui inter ciues athenaei ingenio alacri versatus est septem annos, quorum dimidiam fere partem sibi vindicauit eiusdem auditorium maius. Hoc vidit eum, *an decies repetita pariam nauisam*, inquirentem in nominalibus vltimis D. FRIDERICI CHRISTIANI, et in nataliis SERENISSIMAE FRIDERICAE CAROLI-

ROLI-

✻ ✻ ✻

ROLINAE celebratis primum in Curiano *id illorum causa euocantem* uorſa, tum proſa, utrimque uernacula haud indecenter.

RHARTVS CONRADVS SCHMID rediit ſuperiori anno in gratiam cura Muſis noſtris, quibus ſemelſtri ante in natali **SERENISSIMAE FRIDERICAE LVDOVICAE PATRIS** patriae **CLEMENTISSIMI MATRIS AVGVSTAE** dixerat uale, ut adueſceret ſtilo ſori. Id tum publice edicentibus, niſi ea denuo transferendo lectori priorum taedium crearemus, quid reſtat, quam iterum meminiffe, genitum fuiſſe a Ioanne Adamo, dum uiueret, Paſtore coetus ſacri Iſigenſis digniſſimo, qui maiora in dies bonarum artium incrementa capiendi tanta flagrabat cupiditate inter noſtros, quanta modo pauci, quos aequus amauit, qualem cupimus filium.

CHRISTIANVS ADAM MVLLER tribus abhinc annis cooptatus in primum Curiani ciuium ordinem, quo dignus euaferat intra priuatos parietes **V. Pl. R. Ioannis Adami Paſtoris** meritiſſimi olim Cautendorffii, poſt ea Cozauiae ſuperioris uſiusque uicini. Huius filius maior is nobis eo gratior, quo dilectior nobis Parens vnus ex primitiis, quas diuino nutu ante hos triginta ſex annos in praefens munus noſtrum delati miſimus, quoque certiori Fautore Eodem gaudemus. Gaudeat autem quo genitore magis gnatus, quam quo duce coque in paucis uerſatiſſimo amauit a teneris, ut aiunt, vnguiculis haurire ex fontibus ſalutis hominum limpidiſſimis? Nec poeniteat eum in noſtram diſciplinam, cuius numquam non fuit obſeruantiffimus, tradidiſſe. Publica eius exſtant ſpecimina, ſemel in Martinalibus anni noſtri ſeculi ſexageſimo octauo ode ſapphica Latina *pro conſeruanda amplifi.andaque rei publicae ſalute*, iterum oratione Teutonica cum iſtis duobus commilitonibus praemonente exemplo **CELISSIMAE** patriae **MATRIS** illuſtriſſimo *eam piam eſſe efficaçiſſimum genus uirtutes tradendi imperio eius ſubiectis*. Praeter ea quoque fecit diſputandi periculum.

IOANNES FRIDERICVS FRECH per integrum decennium, quo ſouit eum alma mater Curia, fui ſemper ſimilis fuit ita, ut ad optima tendentis induſtria ſe per omnes ordines proderet. Neque vanum eſt augurium, redditurum eſſe, quod in eum impendit Pater uir probus ſarciendis ueſtimentis operatus Ottendorffii in Ludonicopolitano agro, cui nomen Ioanni Nicolao. Quem autem praefertim in hac, qua premuntur late mortales, annonae difficultate ſummaque inopia rei frumentariae non toleratarum adoleſcentem ſuntum altiorum diſciplinarum ipli deduximus rogatum menſam Anthoriam Lipſiae egenis paratam ad recentem Wunſidelium rei ſacrae Antifitem Summe Reuerendum Ioannem Balthaſarem Doerfler. Is ex ſuo ſingulari probos iuuandi ardore noſtris precibus pro iſto et aliis, pro quibus fidem noſtram interponere non dubitabamus, adnuit. In ſpem autem inducimur, hanc beneuolentiam in hoc bene collocatam eſſe, non ſolum, quia pro noſtris ſcholasticis ore Romano uerba fecit elegantiori uergente anno **CIOCCCLXVIII. de gentium idolatricarum in praecipuis doctrinae capitibus conſenſu**, ſed et quoniam in arenam deſcendens partes ſuas tuebatur maſcule, in primis autem quia intentiſſima cura exſequabatur promte, quae erant propoſita.

Hinc ſubplementum euiſcumque academicorum cohorti. Medicorum primus, Iuris peritorum ſecundus, Theologorum reliqui duo nomen dabunt, qua occasione quaedam diſcremus de *D. Alberto Achille*.

Yb 4473

1078

ULB Halle

3

006 302 904



20







CVRIAM
REGNITIANAM
NON, NVLLO, IVRE
HERMVNDVRORVM
COGNOMINANDAM
DISSERIT. XXXXII

VT
SERENISSIMO, PRINCIPI. AC, DOMINO
DOMINO
CHRISTIANO. FRIDERICO. CAROLO
ALEXANDRO

MARCGR. BRANDENB. BVRGGR. NOR
ET. RELIQVIS
QVOD. MERETVR

OPTIMVS. PRINCEPS
PIA. VOTA
CHRISTIANO

DIEI. PROXIME. ILLVSCENTI
DESTINATA. LAETISSIME. PRAESVMENTIBVS
AD. ALTIORES. DISCIPLINAS
IVSTO. TEMPOPE. TRANSEVNDI. CAUSA
CVPIENTES

DEVS. NOSTRIS. VOTIS. RESPONDEAT
IN .A. D. V. NONAS. MAIAS. CI^oCCCLXXI

H. L. Q. C
IN. ILLVSTRE. CVRIANVM
CORROGET

PAVLLVS. DANIEL. LONGOLIVS

CVRIAE. REGNITIANAE
EX. OFFICINA, HETSCHELIANA